

rens, ne quid mentitus videretur, consuetis ambagibus atque arte prouiderit, quod ipse Nero suprema illa nocte, audito clamore militari, suum execrante, & Galbæ nomen celebrante, sero licet quiverit intelligere, & ad infœlicitatis suæ cumulum auctorem oraculi veridicum opinari: Galba enim successor, tertium & septuagesimum annum tunc agebat.

APOLLO HELIOPOLITANVS.

A Pud Heliopolim Aegyptiorum templum, fuit perplexis, vt aiunt numinibus incertum, quod & Sol ibi coleretur, & Iupiter, & Apollo. De hoc quidem incertior fama est, sed hunc quoque templi eius accolam ex furore ministrorum & ex diuinatione confirmant: Hunc igitur Traianus, hortantibus amicis, bello Parthico consulendum ratus, Romano more, fidem oraculi prætentare voluit, ne quid fortè mortalis fallaciæ fingere-tur, sigillatasque literas transmisit, ad quas sibi petiit responderi: Erat enim mos, & de longinquo per epistolam consulendi. Spiritus ille vaferrimus, qui in consignatione Imperialium literarum forsan interfuerat, tentatum se intelligens, vt humanam irritaret insaniam, nosse

nosse